

melius ac dignius perficient, quod nos conati sumus: qui etiam exteriora interioribus comparare poterunt, et pretiosam in conspectu Domini mortem ejus, vitæ similem, continuare scribendo, et de vita mortem, et de morte vitam commendare. Jam ergo, adjuvante Domino, propositum aggrediamur.

## CAPUT PRIMUM.

*De parentibus beati Bernardi, eorumque insigni pietate in educandis liberis; deque Bernardi jam tum pueri indole, et præclaris moribus.*

1. Bernardus Burgundiæ partibus, Fontanis oppido patris sui oriundus fuit (12\*), parentibus claris secundum dignitatem sæculi, sed dignioribus ac nobilioribus secundum christianæ religionis pietatem. Pater ejus Tecelinus [*al. Tesselinus*], vir antiquæ et legitimæ militiæ fuit, cultor Dei, justitiæ tenax. Evangelicam namque secundum instituta Præcursoris Domini militiam agens, neminem concutiebat, nemini faciebat calumniam, contentus stipendiis suis (*Luc. III, 14*), quibus ad omne opus bonum abundabat. Sic consilio et armis serviebat temporalibus dominis suis, **1063** ut etiam Domino Deo suo non negligeret reddere quod debebat. Mater Aleth, ex castro cui nomen Mons-Barrus (13); et ipsa in ordine suo, apostolicam regulam tenens, subdita viro, sub eo secundum timorem Dei domum suam regebat (*Ephes. V, 22*), operibus misericordiæ insistens, filios enutrens in omni disciplina. Septem quippe liberos genuit non tam viro suo quam Deo, sex mares, feminam unam: mares omnes monachos futuros, feminam sanctimoniam. Deo namque, ut dictum est, non sæculo generans, singulos mox ut partu ediderat, ipsa manibus propriis Domino offerebat. Propter quod etiam alienis uberibus nutriendos committere illustris femina refugiebat, quasi cum lacte materno quodammodo boni infundens eis naturam. Cum autem crevissent, quando sub manu ejus erant, eremo magis quam curiæ nutrebat, non patiens delicatioribus assuescere cibis, sed grossioribus et communibus pascens; et sic eos preparans et instituens, Domino inspirante, quasi continuo ad eremum transmittendos.

2. Hæc cum in ordine filiorum tertium Bernardum haberet in utero, somnium vidit præsagium futurorum, catellum scilicet totum candidum, in dorso subrufum, et latrantem (13\*) in utero se habere. Super quo territa vehementer, cum religiosum quemdam virum consulisset, continuo ille spiritum prophetiæ concipiens, quo David de sanctis prædicatoribus domino dicit, *Lingua canum tuorum ex inimicis* (*Psal. LXXVI, 24*); trepidanti et anxie respondit: « Ne timeas, bene res agitur, optimi catuli mater eris, qui domus Dei custos futurus,

(12\*) Apposite in tertia Vita Tecelinus vocatur « dominus minoris castri, cui Fontanæ nomen est, quod famosissimo illi castro Divionis supereminet, in excelsa rupe locatum, » vulgo *Fontaines*; ubi paternæ, ut creditur, Bernardi ædes conversæ sunt in Fulensium Patrum conventum.

(13) *Montbard*.

magnos pro ea contra inimicos fidei editurus est latratus. Erit enim egregius prædicator et tanquam bonus canis, gratia linguæ medicinalis in multis multis morbos curaturus est animarum. » Quo responso mulier pia et fidelis quasi a Deo suscepto, læta efficitur, et jam tunc in amorem nondum nati tota transfunditur, cogitans sacris eum litteris erudiendum tradere secundum modum visionis et interpretationis, qua ei de illo tam sublimia promittebantur: quod et factum est. Mox enim ut felici partu edidit, non modo obtulit eum Deo, sicut de aliis agere consueverat; sed, sicut legitur de sancta Anna matre Samuelis, quæ petito a Domino et acceptum filium in tabernaculo ejus destinavit perpetuo servitutum (*I Reg. I*); sic et ipsa eum in Ecclesia Dei acceptabile obtulit munus.

3. Unde et quam citius potuit, in ecclesia Castellionis (14) (quæ postmodum ipsius Bernardi opera a sæculari conversatione in Ordinem regularium canonicorum promotam cogoscitur) magistris litterarum tradens erudiendum, egit quicquid potuit, ut in eis proficeret. Puer autem et gratia plenus, et ingenio naturali pollens, cito in hoc desiderium matris implevit. Nam in litterarum quidem studio supra ætatem et præ coætaneis suis proficiebat: sed in rebus sæcularibus jam mortificationem futuræ perfectionis velut naturaliter inchoabat. Erat namque simplicissimus in sæcularibus, amans habitare secum, publicum fugitans, mire cogitativus, parentibus obediens et subditus; omnibus benignus et gratus, domi simplex et quietus, foris rarus, et ultra quam credi posset verecundus; nusquam multum loqui amans, Deo devotus, ut puram sibi pueritiam suam conservaret; litterarum etiam studio deditus, per quas in Scripturis Deum disceret et cognosceret: in quo quantum in brevi et profecerit, et quam perspicacem in discernendo induerit sensum, ex eo quod subjungimus, adverti potest.

## CAPUT II.

*De integritate Bernardi pueri, curam femine præstigiatrix detestantis; de visione nati Salvatoris ei facta, et de matris obitu.*

4. Cum adhuc puerulus gravi capitis dolore vexaretur, decidit in lectum. Adducta autem ad eum est muliercula, quasi dolorem mitigatura carminibus. Quam **1064** cum ille appropinquantem sentiret cum carminibus instrumentis, quibus hominibus de vulgo illudere consueverat, cum indignatione magna exclamans a se repulit et abjecit. Nec defuit misericordia divina bono zelo sancti pueri: sed continuo sensit virtutem, et in ipso impetu spiritus surgens, ab omni dolore liberatum se esse cognovit. Ex quo cum non parum in fide proficeret, abjecit ei

(13\*) Hunc referri potest id quod ait Bernardus in epistola 78, num. 7: « Malis audacter, cum vidimus, oblatravimus. » Confer epistolam 230: « Demonstro lupum, instigo canes; » et sermonem Gaufridi de S. Bernardo inferius, num. 17.

(14) *Châtillon-sur-Seine*.

Dominus apparere, sicut olim puero Samueli in Silo, et manifestare ei gloriam suam (*I Reg. III*). Aderat namque solemnitas illa nox Nativitatis Dominicæ; et ad solennes vigilias omnes, ut moris est, parabantur. Cumque celebrandi nocturni officii hora aliquantisper protelaretur, contigit sedentem expectantemque Bernardum cum cæteris inclinato capite paululum soporari. Adfuit illico puero suo se revelans pueri Jesu sancta Nativitas, teneræ fidei suggerens incrementa, et divinæ in eo inchoans mysteria contemplationis. Apparuit enim velut denuo procedens sponsus e thalamo suo. Apparuit ei quasi iterum ante oculos suos nascens ex utero matris Virginis verbum infans, speciosus forma præ filiis hominum, et pueruli sancti in se rapiens minime jam pueriles affectus. Persuasum autem est animo ejus, et nunc usque fatetur, quod eam credat horam fuisse Dominicæ Nativitatis. Sed et facile est advertere iis qui ejus auditorium frequentaverunt, in quanta benedictione ea hora prævenit eum Dominus; cum usque hodie in iis quæ ad illud pertinent sacramentum, et sensus ei profundior, et sermo copiosior suppetere videatur. Unde et postmodum in laudem Genitricis et Geniti, et sanctæ ejus Nativitatis, insigne edidit opusculum, inter initia operum suorum seu tractatum, sumpta materia ex eo Evangelii loco, ubi legitur, *Missus est Gabriel angelus a Deo in civitatem Galiliæ* (*Luc. I, 20*), et cætera quæ ibi sequuntur.

5. Neque illud tacendum, quod ab ipsis jam puerilibus annis, si quos poterat nummos habere, clandestinas faciens eleemosynas, et verecundiæ suæ morem gerebat, et pro ætate, imo supra ætatem, pietatis opera sectabatur. Cum autem aliquanto tempore evoluto, proficiens ætate et gratia apud Deum et homines puer Bernardus de pueritia transiret in adolescentiam; mater ejus liberis fideliter educatis et vias sæculi ingredientibus, quasi peractis omnibus quæ sua erant, feliciter migravit ad Dominum. De qua nequaquam prætereundum est, quod cum multo tempore vixisset cum viro suo honeste et juste secundum justitias et honestates sæculi hujus, et legem fidemque conjugii; per aliquot ante obitum suum annos, in eo ad quod nutrire filios videbatur, prout potuit et licuit mulieri sub potestate viri constitutæ, nec habenti proprii corporis potestatem, omnes ipsa prævenit. Etenim in domo sua, et in professione conjugali, et in medio sæculi eremiticam seu monasticam vitam non parvo tempore visa est æmulari, in victus paritate, in vilitate vestitus, delicias et pompas sæculi a se abdicando, ab actibus et curis sæcularibus, in quantum poterat, se subtrahendo, insistendo jejuniis, vigiliis, et orationibus; et quod minus assumptæ professionis habebat, eleemosynis et diversis ope-

(14\*) Herbertus in libro II, cap. 23, tradit, Bernardum Novitium quotidie pro anima matris suæ septem psalmos poenitentiales recitare solitum, iis semel ex parte omissis, ab Stephano abbate in-

ribus misericordiæ redimendo. In quo de die in diem proficiens, ad extrema devenit, perficienda in futuro in eo, in quo proficiens de hoc sæculo migravit. Obdormivit autem psallentibus clericis qui convenerant, et ipsa pariter psallens, ut in extremis quoque; cum jam vox ejus audiri non posset, adhuc moveri labia viderentur, et lingua palpans Dominum confiteri. Demum inter litaniarum supplicationes, cum diceretur, « Per passionem et crucem tuam libera eam Domine, » elevans manum signavit se, et emisit spiritum (14\*), ita ut manum non posset deponere quam levaverat.

## CAPUT III.

*De studio tuendæ castitatis, deque vitæ religiosæ proposito, et allectis in eadem sententiam fratris suis, aliisque sociis.*

6. Ex hoc Bernardus suo jam more, suo jure victitare incipiens, eleganti corpore, grata facie præeminens, suavissimis ornatus moribus, acri ingenio præditus, acceptabili pollens eloquio, magnæ spei adolescens prædicabatur. Cui tanquam ingrediens sæculum, plures se vitæ sæculi ipsius offererent cœperunt, et in omnibus assurgere prosperitates vitæ hujus, et magnæ spes undique arridere. Obsidebant autem benignum juvenis animum sodalium dissimiles mores, et amicitiarum procellosæ, similem sibi efficere gestientes. Quæ si ei dulcescere perstitissent, necesse erat amarescere illi, quod in hac vita dulcius cordi ejus insederat, castitatis amorem. Cui præcipue invidens coluber tortuosus, spargebat laqueos tentationum, ac variis occurrentibus calcaneo ejus insidiabatur. Cum enim aliquando curiosius aspiciendo, delixos in quamdam oculos aliquandiu tenuisset; continuo ad se reversus, et de semetipso erubescens apud semetipsum, in se ipsum ultor severissimus exarsit. Stagno quippe gelidarum aquarum, quod in proximo erat, collo tenuis insiliens, tandiu inibi permansit, donec pene exsanguis effectus, per virtutem gratiæ cooperantis etiam a calore carnalis concupiscentiæ totus refriguit, induens illum castitatis affectum, quem induerat qui dicebat: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine* (*Job xxxi, 1*).

7. Circa idem tempus instinctu dæmonis in lectum dormientis injecta est puella nuda. Quam ille sentiens, cum omni pace et silentio partem ei lectuli quam occupaverat, cessit, et in latus alterum se convertit, atque dormivit. Misera vero illa aliquandiu jacuit sustinens et expectans, deinde palpans et stimulans: novissime cum immobilis ille persisteret, illa, licet impudentissima esset, erubuit; et horrore ingenti atque admiratione perfusa, relicto eo surgens aufugit. Contigit item ut cum sociis aliquantis apud matronam aliquam Bernardus hospitaretur. Considerans autem mulier adolescentem crepatum fuisse. Matris obitus contigit Kalendis Septembris. Corpus in Divionensi Sancti-Benignæ ecclesia sepultum, postea in Claram-Vallem translatum est.

tem decorum aspectu, capta est laqueo oculorum suorum, et in concupiscentiam ejus exarsit. Cumque tanquam honoratori omnium, seorsum ei fecisset lectulum præparari, surgens ipsa de nocte impudenter accessit ad eum. Quam Bernardus sentiens, nec consilii inops, clamare cepit: Latrones! latrones! Ad quam vocem fugit mulier, familia omnis exurgit, lucerna accenditur, latro quæritur, sed minime invenitur. Ad lectulos singuli redeunt, fit silentium, fiunt tenebræ sicut prius, pausant cæteri, sed non illa misera requiescit. Exurgit denuo, et Bernardi lectulum petit; sed denno ille proclamat: Latrones! latrones! Quæritur iterum latro, latet iterum, nec ab eo qui solus noverat, publicatur. Usque tertio improba mulier sic repulsa, vix tandem seu metu, seu desperatione victa cessavit. Cum autem die sequenti iter agerent, arguentes Bernardum socii, quosnam toties ea nocte latrones somniaverit, perquirebant. Quibus ille: Veraciter, inquit, aderat latro, et quod mihi pretiosius est in hac vita, castitatem videlicet, hospita nitebatur auferre, incomparabilemque thesaurum.

8. Inter hæc tamen cogitans et perpendens, quod vulgo dicitur, non esse tutum diu cohabitare serpenti; fugam meditari cepit. Videbat enim mundum et principem ejus exterius sibi multa offerentem, magnas res, spes majores, sed fallaces omnes, et vanitates vanitatum, et vanitatem omnia. Veritatem vero ipsam interius jugiter audiebat clamantem ac dicentem: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris* (Matth. xi, 28, 29). Perfectius vero relinquere mundum deliberans, cepit inquirere et investigare, ubi certius ac purius inveniret requiem animæ suæ sub jugo Christi. Inquirenti autem occurrit Cisterci in novatæ monasticæ religionis nova plantatio; messis multa, sed operariis indigens, 1660 cum vix adhuc aliquis conversionis gratia illuc declinaret, ob nimiam vitæ ipsius et paupertatis austeritatem. Quæ tamen cum animum vere Deum quærentem minime terrerent, posthabita omni hæsitazione ac timore, illuc vertit intentionem, posse se æstimans omnino ibi delitescere, et abscondi in abscondito faciei Dei ab omni conturbatione hominum; maximeque ad effugium vanitatis; seu de sæculari generositate, seu de acrioris ingenii gratia, seu etiam forte de alicujus nomine sanctitatis.

9. Ubi vero de conversione tractantem fratres ejus, et qui carnaliter eum diligebant, persenserunt; omnimodis agere cœperunt, ut animum ejus ad studium possent divertere litterarum, et amore scientiæ sæcularis sæculo arctius implicare. Qua nimirum suggestionem, sicut fateri solet, propemodum retardati fuerant gressus ejus: sed matris sanctæ memoria importune animo ejus instabat, ita ut sæpius sibi occurrentem videre videretur, conquerentem et

(15) Grancey.

improperantem, quia non ad hujusmodi nugacitatem tam tenere educaverat, non in hac spe erudierat eum. Demum cum aliquando ad fratres pergeret, in obsidione castris, quod Granceium (15) dicitur, cum duce Burgundiæ constitutos, cœpit in hujusmodi cogitatione vehementius anxari. Inventaque in itinere medio ecclesia quadam, divertit, et ingressus oravit eum multo imbre lacrymarum, expandens manus in cœlum, et effundens sicut aquam cor suum ante conspectum Domini Dei sui. Ea igitur die firmatum est propositum cordis ejus.

10. Nec vero surda aure percepit vocem dicentis: *Qui audit, dicat, Veni* (Apoc. xii, 17). Siquidem ab illa hora, sicut ignis qui comburit silvam, et sicut flamma comburens montes, hinc inde prius viciniora quæque corripens, postmodum in ulteriora progrediens: sic ignis quem miserat Dominus in cor servi sui volens ut arderet, primo fratres ejus aggreditur, solo minimo ad conversionem adhuc minus habili, seniori patri ad solatium derelicto, deinde cognatos, et socios, et amicos, de quibuscunque poterat esse spes conversionis. Primus omnium Galdricus avunculus ejus, absque dilatione aut hæsitazione, pedibus, ut aiunt, ivit in sententiam nepotis, et consensum conversionis, vir honestus et potens in sæculo, et in sæculari militiæ gloria nominatus, dominus castris in territorio Eduensi, quod Tuillium (15\*) dicitur. Continuo etiam Bartholomæus occurrens, junior cæteris fratribus, et necdum miles, sine difficultate eadem hora salutaribus monitis dedit assensum. Porro Andreas, Bernardo etiam ipse junior, et novus eo tempore miles, verbum fratris difficiliter admittebat, donec subito exclamavit: « Video, » inquit, « matrem meam, » Visibiliter siquidem ei apparuit, serena facie subridens, et congratulans proposito filiorum. Itaque et ipse continuo manus dedit, et de tirone sæculi factus est miles Christi. Nec solus vidit Andreas tantorum matrem filiorum lætantem, sed confessus est et Bernardus eandem similiter se vidisse. Guido primogenitus fratrum, conjugio jam alligatus erat, vir magnus, et præ aliis jam in sæculo radicans. Hic primo paululum hæsitans, sed continuo rem perpendens et recogitans, conversioni consensit, si tamen conjux annueret. Verum id quidem de juvenula nobili, et parvulas filias nutriente, pene impossibile videbatur. At Bernardus de misericordia Domini spem concipiens certiore, incunctanter ei sponndit aut consensuram feminam, aut celeriter morituram. Demum cum omnimodis illa renueret, vir ejus magnanimus, imo ea jam præventus fidei virtute, in qua postmodum excellenter enituit; virile consilium Domino inspirante concepit, ut abiciens quidquid habere videbatur in sæculo, vitam institueret agere rusticanam, laborare scilicet manibus propriis, unde suam sustentaret et uxoris vitam, quam invitam dimittere non licebat. Interim

(15\*) Touillon.

supervenit Bernardus, qui undique alios atque alios colligens discurrerat. Nec mora, flagellabatur prædicta Guidonis uxor infirmitate gravi. Et cognoscens quia durum sibi esset contra stimulum calcitrare, accersito Bernardo veniam deprecatur, et prior ipsa 1607 conversionis petit assensum. Denique juxta morem ecclesiasticum separata a viro, interveniente parili voto castitatis, in cœtum sanctimonialium transiit feminarum, religiose usque hodie serviens Deo (16).

11. Secundus natu post Guidonem Gerardus erat, miles in armis strenuus, magnæ prudentiæ, benignitatis eximie, et qui ab omnibus diligeretur: qui cæteris, ut dictum est, primo auditu et primo die acquiescentibus, ut mos est sapientiæ sæcularis, levitatem reputans, obstinato animo salubre consilium et fratris monita repellebat. Tum Bernardus fide jam igneus, et fraternæ charitatis zelo mirum in modum exasperatus: « Scio, » inquit, « scio, sola vexatio intellectum dabit auditui. » Digitumque lateri ejus apponens: « Veniet » inquit, « dies, et cito veniet, cum lancea, lateri huic infixam, pervium iter ad cor tuum faciet consilio salutis tuæ, quod aspernaris: et timebis quidem, sed minime morieris. » Sic dictum, sicque factum est. Paucissimis interpositis diebus circumvallatus ab inimicis, captus et vulneratus juxta verbum fratris, lanceam gestans ipsi lateri, eidemque infixam loco cui ille dignitatem applicuerat, trahebatur, et mortem quasi jam præsentem metuens clamabat: « Monachus sum, monachus sum Cisterciensis. » Nihilominus tamen captus et reclusus in custodia est. Vocatus est Bernardus per celerem nuntium, sed non venit. « Sciebam, » inquit, « et prædixeram quod durum esset ei contra stimulum calcitrare: nec tamen ad mortem ei vulnus hoc, sed ad vitam. » Et factum est ita. Siquidem de vulnere præter spem cito convaleuit, propositum vero seu votum quod voverat non mutavit. Cumque jam liber ab amore sæculi hostilibus adhuc vinculis teneretur, et hoc solum esset quod conversionis ejus propositum retardaret, in hoc etiam cito adfuit ei misericordia Dei. Venit frater ejus laborans ut crui posset, sed non profecit. Et cum nec loqui ei permitteretur, accedens ad carcerem clamavit: « Scito, frater Gerarde, quia ituri sumus in proximo, et monasterium introituri. Tu vero quandoquidem exire non licet, hic monachus esto, sciens quod vis, et non potes, pro facto reputari. »

12. Cumque Gerardus magis ac magis anxaretur, paucis interpositis diebus, audivit vocem in somnis dicentem sibi: « Hodie liberaberis. » Erat autem sacrum Quadragesimæ tempus. Circa vespertinam itaque diei horam cogitans quod audierat, compedes suas tetigit, et ecce ex parte crepuit in manu ejus

(16) Et quidem apud Elariacum seu Lariacum, vulgo *Laire*, ad muros Divionenses, ex tertia Vita, et ex tabulis Lariacensibus: qui locus nunc Prioratus est monasterii Sancti-Benigni, cui tum istæ san-

ferrum, ut minus jam teneretur, et aliquatenus incedere posset. Sed quid ageret? Erat ostium obse-ratum, et pro foribus pauperum multitudo. Surrexit jamen, et non tam spe evadendi quam tædio jacendi, seu curiositate tentandi, accedens ad ostium subterraneæ domus, in qua vinetus et clausus erat, mox ut pessulum tetigit, sera tota inter manus ejus collapsa est, et ostium domus apertum. Exiensque pedetentim, sicut homo compeditus, ad ecclesiam, ubi adhuc vespertina celebrabantur officia, pertendebat. Porro mendici qui pro foribus domus astabant, videntes quod fiebat, et divinitus exterriti, in fugam versi sunt, nihil clamantes. Cumque jam ecclesiæ propinquaret, egrediens quidam de familia domus captivitatis suæ, germanus illius a quo custodiebatur, vidensque eum ad ecclesiam properantem: « Tarde, » inquit, « Gerarde, venisti. » Expavescente illo: « Festina, » ait, « adhuc superest quod audias. » Oculi quippe ejus tenebantur, nec prorsus quid ageretur intelligebat. Denum ad altiores gradus ecclesiæ cum adhuc compeditum data manu Gerardum sublevasset, introeunte illo ecclesiam, tunc primum quid ageretur agnovit, et conatus eum retinere non potuit. Hoc modo Gerardus a captivitate amoris sæculi hujus, et captivitate filiorum sæculi liberatus, votum quod voverat fideliter exsolvit. In quo potissimum notum fecit Dominus, a quanta perfectione sanctæ conversationis gratiam iste Dei famulus ceperit, qui in ejus spiritu, qui fecit quæ futura sunt, quod erat futurum videre potuit quasi jam factum. Præsentialiter quippe in latere fratris ei lancea 1068 apparebat, quando digitum applicuit loco vulneris mox futuri, sicut postmodum ipse confessus est, cum ab his interrogaretur, quibus celare non poterat.

13. Cum autem cæteri, ut diximus, prima die in eodem essent cum Bernardo spiritu congregati, mane intrantibus eis ad ecclesiam, apostolicum illud capitulum legebatur, *Fidelis est Deus, quia qui cepit in vobis opus bonum, ipse perficiet usque in diem Jesu Christi* (Philipp. i, 6): quod devotus juvenis haud secus accepit, quam si de cœlo sonisset. Exsultans itaque spiritualis jam pater regeneratorum in Christo fratrum suorum, et manum Domini intelligens secum operantem, cœpit ex hoc prædicationi insistere, et quoscunque poterat aggregare. Cœpit novum induere hominem, et cum quibus de litteris sæculi, seu de sæculo ipso agere solebat, de seriis et conversatione tractare; ostendens gaudia mundi fugitiva, vitæ miserias, celerem mortem, vitam post mortem, seu in bonis, seu in malis, perpetuam fore. Quid multa? Quotquot ad hoc præordinati erant, operante in eis gratia Dei, et verbo virtutis ejus, et oratione et instantia servi ejus, primo cunctati, deinde compuncti, alter post alterum credebant

ctimoniales subjectæ erant, uti et Julienses Molismensibus. Guntramnus rex locum sancto Benigno concessit,

et consentiebant. Inter quos adjunctus est ei etiam dominus Hugo Matisconensis, nobilitate et probitate morum, possessionibus et divitiis sæculi ampliatus : qui hodie merito religionis et sanctitatis suæ, raptus a Pontiniacensi, cœnobio, quod ipse ædificavit, Autissiodorensi Ecclesiæ præest, merito et honore Pontificis (16\*). Hic audiens de conversione socii et amici charissimi, flebat quasi perditum, quem sæculo mortuum audiebat. Ubi autem primo data est utrique facultas mutui colloqui, post dissimiles lacrymas, et gemitus dissimilium dolorum, verba verbis cœperunt conferri, et res rebus comparari. Cumque inter ipsa verba familiaris amicitiae Hugoni infunderetur spiritus veritatis, aliam jam faciem habere cœperunt verba mutæ colloquutionis. Datis itaque dextris in sodalium novæ vitæ, longe dignius veriusque facti sunt cor unum et anima una in Christo, quam in sæculo ante fuissent.

14. Post paucos autem dies nuntiatur Bernardo, subversum ab aliis sociis Hugonem, a proposito resiliire. Qui opportunitate inventa, quod magnus quidam episcoporum conventus illis in partibus haberetur, festinat ut revocet pereuntem, iterumque parturial. Observantes autem prædicti sodales et subversores Hugonis, viso eo, prædam ambiunt suam, et omnem ei loquendi adimunt facultatem, omnem aditum intercludunt. At ille, cum ei loqui non posset, clamabat pro eo ad Dominum : quo orante cum lacrymis, subita et vehemens inundatio pluvie mox erupit. Considerant autem in campo, quod aer serenus esset, et nil tale sperarent. Dispersi igitur omaes ad repentinum imbrem, vicum proximum petunt. At Bernardus Hugonem tenens : « Mecum, » ait, « sustinebis hujus pluvie guttas. » Cumque soli remansissent, non fuerunt soli, sed Dominus fuit cum eis, reddens eis continuo et aeris et animi serenitatem. Ibi renovatum est fœdus et propositum confirmatum, quod non potuit deinceps violari.

15. Videbat ista peccator, et irascebatur, dentibus suis fremebat et tabescebat; justus autem confidens in Domino gloriose de sæculo triumphabat. Jamque eo publice et privatim prædicante, matres filios abscondebant, uxores detinebant maritos, amici amicos avertebant; quia voci ejus Spiritus sanctus tantæ dabat vocem virtutis, ut vix aliquis aliquem teneret affectus. Crescente siquidem numero eorum qui in hanc conversionis unanimi- tatem consenserant, sicut de primitivis Ecclesiæ filiis legitur : *Multitudinis eorum erat cor unum, et anima una in Domino* (Act. iv, 32), et habitabant unanimiter simul, nec quisquam aliorum audebat se conjungere eis (Id. v, 42, 43). Erat enim eis Castellioni domus una propria et communis omnium, ubi conveniebant, et cõhabitabant, et colloquebantur, quam ingredi vix aliquis audebat qui non esset de cœtu eorum. Sed et si quis intrabat, videns et audiens 1069 quæ ibi gerebantur et dicebantur,

(16) Hugo III, ex primo abbate Pontiniacensi antistes creatur an. 1135.

sicut de Christianis Corinthiis Apostolus dicit, omnibus quodammodo prophetantibus convincebatur, ab omnibus, dijudicabatur ab omnibus; et adorans Dominum, et confitens quod vere Deus esset in eis (I Cor. xiv, 24, 25), aut ipse unanimi eorum adhærebat, aut recedens flebat semetipsum, illos autem beatificabat. Hoc enim illis temporibus et in illis erat partibus inauditum, ut alicujus adhuc in sæculo commorantis conversio præsciretur. Ipsi vero quasi mensibus sex post primum propositum in sæculari habitu stabant, ut proinde plures congregarentur, dum quorundam negotia per id temporis expediebantur.

16. Cum autem jam suspecta inciperet esse multitudo, ne quem de numero eorum subriperet is qui tentat, placuit Deo super hoc revelare quid futurum esset. Aspicebat enim quidam eorum in visu noctis, et videbat quasi eos omnes consedis in domo una, et per ordinem singulos quasi communicare de cibo quodam miri candoris et saporis : quem cæteris omnibus optime suscipientibus, et cum gaudio magno, duos ex omni numero illo notabat a cibi illius salutaris participatione vacuos remansisse. Alter namque eorum nec sumebat; alter sumere quidem videbatur, sed tanquam minus caute sumeret, spargebatur. Utrumque vero postea probavit eventus. Alter enim, priusquam ventum esset ad rem, conversus retrorsum in sæculum rediit; alter cum cæteris cœpit quidem opus bonum, sed non perfecit. Vidi ego eum in sæculo postea vagum et profugum a facie Domini sicut Cain, quantum avertentem potui, hominem humillimum, et miserabilis confusionis, sed nimie pusillanimitatis. Qui tamen in ultimis Claram-Vallem rediit infirmitate corporis et inopia cogente, cum homo bene natus ab omnibus cognatis et amicis projiceretur : ibique proprietati renuntians, sed non omnino propriæ voluntati, obiit, non quidem intus, sicut frater et domesticus, sed foris misericordiam postulans, sicut pauper et mendicus.

17. Jam vero adveniente die reddendi voti et complendi desiderii, egressus est de domo paterna Bernardus, pater fratrum suorum, cum fratribus suis, filiis suis spiritualibus, quos verbo vitæ Christo genuerat. Videns autem Guido primogenitus fratrum suorum Nivardum fratrem suum minimum, puerum cum pueris aliis in platea : « Eia, » inquit, « frater Nivarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostræ. » Ad quod puer non pueriliter motus : « Vobis ergo, » inquit, « cœlum, et mihi terra? Non ex æquo divisio hæc facta est. » Quo dicto abeuntibus illis, tunc quidem domi cum patre remansit, sed modico post evoluto tempore fratres secutus, nec a patre, nec a propinquis seu amicis potuit retineri. Supererat de Deo dicata domo illa pater senior cum filia, de quibus etiam suo loco dicemus.

18. Eo tempore novellus et pusillus grex Cisterciensis sub abbate degens, viro venerabili Ste-

phano, cum jam graviter ei tædio esse inciperet paucitas sua, et omnis spes posteritatis decideret, in quam sanctæ illius paupertatis hæreditas transfunderetur, venerantibus omnibus in eis vitæ sanctitatem, sed refugientibus austeritatem; repente divina hac visitatione tam læta, tam insperata, tam subita lætificatus est, ut in die illa responsum hoc a Spiritu sancto accepisse sibi demus illa videretur : *Lætare, sterilis, quæ non pariebas; erumpe et clama, quæ non parturiebas : quia multi filii deserte, magis quam ejus quæ habet virum* (Isai. lvi, 1); de quibus postmodum visura es filios filiorum usque in multas generationes. [Nam anno priore uni ex eisdem Cisterciensibus primis fratribus in extremo jam posito, apparuit innumera hominum multitudo prope basilicam, ad fontem lavans vestimenta sua : et in ipsa visione dictum est ei, quia fons Ennon vocaretur. Quod cum indicasset abbati, intellexit protinus vir magnificus divinam consolationem : et multum quidem jam tunc de promissione, sed plurimum postea de 1070 exhibitione lætatus, egit gratias Deo per Jesum Christum; qui cum eo et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen. (17)]

## CAPUT IV.

*De ingressu Ordinis, et fervore novitiatu. Quam parcus cibi et somni; cupidus quoque laboris externi; deque ejus miro in sacra Scriptura profectu.*

19. Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo decimo tertio, a constitutione domus Cisterciensis quindecimo, servus Dei Bernardus annos natus circiter tres et viginti [al. duo et viginti], Cistercium ingressus, cum sociis amplius quam triginta, sub abbate Stephano, suavi jugo Christi collum submitit. Ab illa autem die dedit Dominus benedictionem, et vinea illa Domini Sabaoth dedit fructum suum, extendens palmites suos usque ad mare, et ultra mare propagines suas. [Quia vero ex prædictis sociis ejus uxorati aliqui fuerant, et uxores quoque cum viris idem votum sacræ conversationis inierant; per ipsius sollicitudinem ædificatum eis cœnobium sanctimonialium feminarum, quod Julleium (17\*) dicitur, in Lingonensi parochia, Domino cooperante, magnifice satis excrevit, usque hodie religionis opinione celeberrimum, et personis ac possessionibus dilatatum; sed et propagatum jam per loca alia, et non cessans adhuc ampliorem facere fructum.] Hæc quidem fuere Viri Dei conversationis sancta principia. Conversationis autem ejus insignia, quomodo vitam angelicam gerens in terris vixit, neminem enarrare posse puto, qui non vivat de spiritu, de quo ille vixit. Solius quippe donantis et accipientis est, nosse quantum ab ipso mox conversationis exordio prævenerit eum Dominus in benedi-

(17) Hæc inter uncinos inclusa ex ms. sunt de sumpta.

(17\*) Alii *Juliacum*, vulgo *Jully*, quem locum Milo Barri comes cœnobio Molismensi concessit, « ut religiosis deserviret feminis sub ordinatione Molismensis abbatis : quibus ad regimen sui, tam

stionibus dulcedinis suæ; quanta repleverit gratia electionis; quomodo ab ubertate domus suæ inebriaverit eum. Ingressus est autem domum illam pauperem spiritu, et eo adhuc tempore absconditam ac pene nullam, intentione ibi moriendi a cordibus et memoria hominum, et spe delitescendi et latendi tanquam vas perditum; Deo aliter disponente, et eum sibi in vas electionis preparante, non solum ad Ordinem monasticum confortandum ac dilatandum, sed etiam ad nomen suum portandum coram regibus et gentibus, et usque ad extremum terræ. Ipse vero, nil tale de se æstimans aut cogitans, potius ad custodiam sui cordis, et propositi constantiam, hoc semper in corde, sæpe etiam in ore habebat : « Bernarde, Bernarde, ad quid venisti? » Et sicut de Domino legitur, quia *cœpit Jesu facere et docere* (Act. i, 1), a prima die ingressus sui in cellam Novitiorum, ipse cœpit agere in semetipso quod alios erat doctorus.

20. Postmodum enim cum Claræ-Vallis abbas esset ordinatus, adventantibus novitiis et festinantibus ingredi, audire eum soliti sumus prædicantem ac dicentem : « Si ad ea quæ iustus sunt festinatis, hic foris dimittite corpora quæ de sæculo attulistis : soli spiritus ingrediantur; caro non prodest quidquam. » Quod cum novitiis ad novitatem verbi perterritis, parcens teneritudini eorum, elementius exponendo, carnalem concupiscentiam prædicare solebat foris dimittendam : ipse cum novitius esset, in nullo sibi parcens, instabat omnimodis mortificare non solum concupiscentias carnis, quæ per sensus corporis fiunt, sed et sensus ipsos per quos fiunt. Cum enim jam interiore sensu illuminati amoris dulcius ac frequentius sentire inciperet desursum spirantem sibi suavitatem, sensui illi interiori timens a sensibus corporis, vix tantum eis permittebat, quantum sufficeret ad exterioris cum hominibus conversationis societatem. Quod cum continui usus instantia in consuetudinem mitteret, consuetudo ei ipsa quodammodo vertebatur in naturam : totusque absorptus in spiritum, spe tota in Deum directa, intentione seu meditatione spirituali tota occupata memoria, videns non videbat, audiens non audiebat; 1071 nihil sapiebat gustanti, vix aliquid sensu aliquo corporis sentiebat. Jam quippe annum integrum exegerat in cella Novitiorum, cum exiens inde ignoraret adhuc an haberet domus ipsa testudinem, quam solemus dicere cælaturam. Multo tempore frequentaverat intrans et exiens domum ecclesiæ, cum in ejus capite, ubi tres erant, unam tantum fenestram esse arbitraretur. Curiositatis enim sensu mortificato, nil hujusmodi sentiebat; vel si forte aliquando eum contingebat videre, memoria, ut dictum est, alibi occupata non advertebat.

corporum quam animarum, quatuor deputati erant monachi per abbatem Molismensem. » Hæc acta sub Guidone abbate, sub anno 1115, ad quem Bernardi epistola 80, ex charta apud Cuthbertum. De Julleio iterum infra, num. 30.